Fragmentarium

tribulantis.
Ave maria gracia plena dominus
tecum benedicta tu in mulieribus alleluia. euouae.
Cito veniet egrediens ad aperiendum Fer. iii.
dum et non interficiet usque ad internicionem.
et non deficiet panis eius. Ego autem sum dominus deus tuus
qui conturbo mare. et intumescunt fluctus eius.
dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo
et in umbra manus mee protexi te. ut plantes celos
et fundes terram et dicas ad syon. populus meus es tu.
Elevare elevare consurge ierusalem. V. hec d.
que bibisti de manu domini calicem ire eius
usque ad fundamentum calicis soporis bibisti. et po
tasti usque ad feces. In die illa erit lux lune sicut
lux solis. et lux solis erit septempliciter sicut lux
septem dierum in die qua alligaverit dominus vulnus
populi sui et percussuram plage eius sanaverit.
Ecce nomen domini venit de longinquo ardens
furor eius. et gravis ad portandum. labia eius
repleta sunt indignatione. et lingua eius quasi
ignis devorans. Spiritus eius velut torrens inundans
usque ad medium colli. ad perdendas gentes in nichilum.
et frenum erroris quod erat in maxillis populorum
Canticum erit vobis sicut vox sanctificate solemni
tatis. et leticia cordis sicut qui pergit cum tibia
ut intret in montem domini ad fortem israel. R.
Beatam me dicent omnes generationes quia ancillam
humilem respexit deus. euouae. Fer. iiii. lc. i.
Et auditam faciet dominus gloriam vocis sue et
terrorem brachii ostendet in comminatione
furoris. et flamma ignis devorantis allidet in tur
bine et in lapide grandinis. Magnificatus est dominus
quoniam habitavit in excelso. implevit syon iudi
cio et iusticia. et erit fides in temporibus suis. Divi
cie salutis sciencia et sapiencia. timor domini

foris. angeli pacis amare flebunt. V. ed. lc. iii.
Dissipate sunt vie. cessavit transiens per semitam.
Irritum factum est pactum. proiecit civitates.
non reputavit homines. Luxit et elanguit terra.
~~scabellum pedum meorum~~. confusus est libanus
et obsorduit. hec dicit dominus deus israel. Celum sedes
mea. et terra scabellum pedum meorum. Que est
ista domus quam edificabitis michi. et quis iste
locus quietis mee. Omnia hec manus mea fecit
et facta sunt universa ista dicit dominus.
Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum
et contritum spiritu. et trementem sermones
meos. Qui immolat bovem quasi qui interficiat
virum. Qui mactat pecus quasi qui excerebret
canem. Qui offert oblationem. quasi qui sanguinem
suillum offerat. Qui recordatur thuris quasi
qui benedicat idolo. Hec omnia elegerunt in
viis suis. et in abhominationibus suis anima eorum
delectata est. In ev. A. Ponam in syon salutem et in ierusa
lem gloriam meam alleluia. euouae. Fer. v.
Audite verbum domini qui tremitis ad verbum eius.
Dixerunt fratres vestri odientes vos et abici
entes propter nomen meum glorificetur dominus. et vide
bimus in leticia vestra. ipsi autem confundentur.
Vox populi de civitate. vox de templo. vox
domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam
parturiret peperit. et antequam veniret partus
eius. peperit masculum. hec dicit. lc. ii.
Quis umquam audivit tale et quis vidit
huic simile. Numquid parturiet terra
in die una. aut parturietur gens simul
quia parturivit et peperit syon filios suos.
Numquid ego alios parere faciam. ipse non pariam
dicit dominus. In die illa auferet dominus deus lacrimam
ab omni facie. et obprobrium populi sui auferet
de universa terra quia dominus locutus est. V. hec dicit d. d.

60

ARCHIVES DE L'ETAT.
A GAND.

License: public_domain – Gent, Rijksarchief te Gent, Varia D, nr. 3360/6, fol. [1]r – Antiphonal
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-cqz1/5488/51949)